

bolo tribuit poenitentiam; quid ad nos, qui & diabolum, & satellites ejus omnesque impios & prævaticatores dicimus perire perpetuò, & christianos, si in peccato prævencati fuerint, salvandos esse post pœnas? *Et ex Commentariis in Isai. ult.* Sicut diaboli & omnium negatorum atque impiorum, qui dixerunt in corde suo, Non est Deus, credimus æterna tormenta: sic peccatorum atque impiorum, & tamen christianorum, quorum opera in igne probanda atque purganda sunt, moderatam arbitramur & mistam clementiæ sententiam judicis. *Hæc tamen theologi alii, & similia si qua sunt loca, eo pacto explicant, ut ab illo errore, qui graviter itidem in Enchiridio libroque de Civitate Dei 21. confutatur, defendant Hieronymum. Cui nec nos putamus tribuenda omnia argumenta, quæ in præsentì opere diluuntur, & quidem prætermittis ab Augustino iis Scripturæ testimoniis quibus Hieronymus in Isaiam observat uti eos qui volunt peccatorum aliquando finiri supplicia.*

Libri de Fide & operibus meminit Augustinus in Enchiridio c. 67. in lib. de octo questionibus Dulcitii q. 1. n. 2. & in epistola 205. ad Consentium n. 18.



LIBRI II. RETRACTATIONUM,

CAPUT XXXVIII.

ITEREA missa sunt mihi à quibusdam fratribus laicis quidem, sed divinorum eloquiorum studiosis, scripta nonnulla, quæ ita distinguerent à bonis operibus christianam fidem, ut sine hac non posse, sine illis autem posse perveniri suaderetur ad æternam vitam. Quibus respondens librum scripsi, cujus nomen est, *de Fide & Operibus*. In quo disputavi, non solum quemadmodum vivere debeant gratia Dei regenerati, verum etiam quales ad lavacrum regenerationis admitti. Hic liber sic incipit: *Quibusdam videtur.*

